

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Samuel Grynæus, singulares, adeoque intimi amici nostri, affines ipsius. ut quorum ex sorore neptem uxorem habet. Quærit apud vos conditionem Medicam, quam vacare intellexit, eò quod res familiares ipsius requirunt sustentationem, quam quo minus apud nos possit consequi pro voto, in causa est primum, quod locus nullus est vacuus, deinde quod non desunt indigenæ & ciues eruditione & virtute præstantes. Testificari autem de hoc possum, quòd posteaquam ex Colmario ad nos concessit, sese innocentia, modestia, pacis & tranquillitatis studio, frequentatione Sacrarum concionum & symbolorum usu nobis egregiè approbavit, sanctè etiam & religiosè pollicitus, se parem vitæ rationem deinceps in finem usque servaturum. De eruditione constat in arte Medica & Philosophia, ut quam toti Academix egregiè approbavit: nam vicariam operam Doctori Isaaco per totum semestre, & amplius præstitit, cum laude & fructu auditorum. Quæ cum ita sint, spero scholæ etiam vestræ, si professionem nanciscatur, ornamento esse futurum. Quare eum commendo tibi, affinium dominorum, & meo nomine, ut ipsum consilio & patrocinio iuves. Ex Gallia accipimus, circa Lutætiâ quæta satis esse omnia, augeri Evangelicorum cætus, cum nemo in ipsos inquiret, Rege toto in voluptates profuso, sed Provinciales passim nondum esse sedatos, qui onera exactio- num deprecari, & veterem formam gubernationis urgere non desinunt. Circa Mons-Pessalium & Nemausum aperto Marte dimicatur à Danwilano, hinc verò à Castiliano, Amiral-di filio, & constat copias Gwisianus, sed quo consilio propositoque, adhuc est incertum. De Belgicarum rerum statu cupio certior fieri, maxime verò de successu per Ecclesias & Heshusio, de quibus rogo per hunc nostrum, vel filiorum tuorum manu, si quæ constant, perscribere non graveris. Huldricum tuum expectare pergam, ut hoc vere nos invisat. Commendo te gratiæ DEI, cum uxore, familia toroque presbyterio, Dominis & fratribus meis colendissimis & clarissimis. Basileæ Kalendis Martii, Anno 79.

Salutant te reverenter Collegæ mei, quos nosti.

D. 1. 1679

Simon Sulcerus.



CCLIV.

Salutem in Domino. Reverende & Clarissime Vir,

frater in Christo Charissime.

Qui has tuæ R. reddit, orbus est utroque parente, à Domino Caspate Hirschiq; vero, hominè de Ecclesiis in Austria & aliis locis optime merito, &

Ecc 3

verò


vero Ministrorum Ecclesiæ patrono, mihi commendatus. Is misit eum ante aliquot menses Tubingam, sperans fore, ut vel inter alumnos Illustrissimi nostri Principis reciperetur, vel alicui famuando, victum haberet, donec studiorum suorum cursum absolueret. Cum vero in stipendium (ut vocant) Ducis nostri Illustrissimi non recipiantur, nisi qui hujus Ducatus cives sunt, & in Martiniano pauci alantur, omniaque loca jam suos alumnos habeant, rogavit D. Hirschius, ut cum commendatione aliqua Argentinam mitteretur, sperans ei inter Wilhelmicos studiosos locum esse posse. Et confidit, tuam R. plurimum ea in re adolescentem adiaturum; vel sua causa: est enim Hirschius R. tuæ filio, D. Doctore, Rectore Scholæ in Grätz optime & familiarissime notus. Nec dubito, quin R. tuæ filius, hujus Viri insignem pietatem & erga Ministros Ecclesiæ beneficentiam valde sit prædicaturus. Quapropter si quid obrineri potest, etiam atque etiam rogo, R. tua efficiat, ut intelligat, meas aliquod pondus habuisse.

Tossani maledicum & mendax scriptum audio Argentinæ in officina Jobini impressum, etsi in fronte simulat, se Neostadii natum & in lucem produisse. Quid sibi etiam Antipappi Sturmii velint, miror. Spero tamen, utrunque Scriptum infcio Senatu Argentinensi in lucem editum. De his rebus, quantum quidem licet, fieri certior cuperem. Electorem Saxoniam spero commune negotium Concordiæ nihilominus studiosissime promoturum, etiamsi alii cunctentur, alii tergiversentur, quidam etiam valde repugnent. Optima enim nunquam omnibus placere: quare etiam non omnium judiciorum consensus expectari poterit. Felicissime valeat R. tua, & collegis suis, Dominis fratribus meis in Christo honorandis plurimam ex me salutem dicere non gravetur. Hæc Tubingæ scripsi jam ocreatus, Tuillam cum Illustrissimo meo Principe, Domino juvante, profecturus. 23. Apr. Anno 79.

R. tua,

Studiofiss.

Lucas Osiander, D.



CCLV.

Quæ à facultate decreta sint, ex Decani Cocci literis cognosces. Parata est & concors nostra voluntas; Veniant quam primum volent Candidati, non moram necemus, & siquidem libebit illis, ad me recta divertant, gratissimi futuri hospites, ut quos ceu germanos meos filios agnosco, & diligo. Utinam verò & tibi liceat per valerudinem præsto esse. Erit autem, ut spero, occasio etiam Huldrico tuo, ut nos invisat saltem, quo noticiam & fa-